

tibus Simon appellabatur communiter Πετρος (Ioan. I. 42), quae erat interpretatio nominis Kepha (Cur vero graeci potius πετρος quam πετρα verterint nomen Kepha, id ex eo repetendum est quod, cum utrumque vocabulum significet idem, prius tamen cum masculina desinentia congruebat magis viro): oportebat autem ostendere nomen illud Πετρος mysterium continere, atque hoc mysterium illud esse quod Christus significavit his verbis ἐπι ταυτη τη πετρα οικοδομησω μου την Ἐκκλησιαν; ad id autem ob oculos ponendum necesse erat ipsum nomen Petri priore loco usurpare, ut intelligeretur sequentia esse interpretationem nominis huius viri. Itaque si verborum significatio spectetur (huius enim in interpretatione ratio est habenda), verba Christi perinde se habent ac si dixisset: tu es Petra, et super hanc Petram etc. atqui si ita est, 1) cessat omnis ratio grammatica cur dubitetur de identitate subiecti, 2) adest ratio cur idem esse subiectum affirmetur, cum idem nomen occurrat.

Sane *b*) pronomen demonstrativum *hoc* denotat rem praesentem vel re, vel quae per sermonem fiat praesens audientibus. Hoc autem dupliciter fieri potest vel statim subiungendo id quod loquens vult sistere praesens (Levit. XIV. 2. Hic est ritus leprosi quando mundatus est: Adducetur ad sacerdotem etc.); vel prius expresso nomine rei, quae pronomine demonstrativo sistitur rursus praesens audientibus (Ioan. I. 1. 2. Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum); id autem rursus dupliciter fieri potest, vel solo posito pronomine demonstrativo; vel simul cum eo iterato nomine priore: quod valet quidem ad emphasim sermonis, re autem non differt a praecedente; nam huiusmodi iteratio semper fieri potest et semper subintelligitur. Iam vero in verbis his Christi occurrit alter modus; nihil enim subiungitur quo significetur quidnam sit haec petra. Aiunt quidam Protestantes Christum exerto digito se demonstrasse: sed ubinam hoc est scriptum? Nos interpretari oportet, non divinare. Restat ergo ut pronomen *hanc* referatur ad antecedens illudque immediatum; regulariter enim demonstrativum refertur ad immediate praecedens, quod haec non est nisi Petrus Kepha, quod nomen cum pronomine rursus iteratur. Est ergo idem subiectum *Petrus* et *Petra*.

Et re quidem vera *c*) si comparentur invicem haec duo incisa: *Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam*; manifestum est alterum exhibere rationem cur Christus Simonem vocaverit Petrum; et particulam *et* copulare utrumque nexu causali (Etsi identidem particula *ἰ* καὶ sensum praeferat adversativum, haec tamen non nisi gratis, ut minimum dicamus, hic sensus fingeretur). Cum enim Deus nomen alicui imponit significativum alicuius muneris vel dignitatis, solet rationem reddere cur illud nomen imponat

(Gen. XVII. 5. 15; XXXII. 28; Matth. I. 21; Luc. I. 13. 11); id ergo quoque haec fecisse Christus putandus est. Sane Christus affirmat Simonem esse Petrum: est ergo Simon vere Petrus seu Petra, non dicitur tantum, sed est: atqui si ad ipsum verba sequentia non spectant, quomodo est vere Petra? Liquet enim haec a Christo petrae nomen adhiberi ad significandum illud cui Ecclesiae aedificium superstruitur (super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam): si ergo Simon non est ille super quo Ecclesia aedificatur, ipse nequit dici petra; nisi velis idem vocabulum in eodem contextu immediate iteratum diversam induere significationem, quin tamen huius mutationis ullum exstet indicium: quod nequit admitti.

Et sane *d*) si Petra non est Petrus sed Christus, hic sensus foret verborum Christi: Tu quidem Simon es Petra; at non super te, sed super Me Petram aedificabo Ecclesiam meam: porro advertendum est Christum eo sermone vicem rependere Petro dignitatem quandam ei promittens pro sollemni confessione suae divinitatis. Tu confessus es revelante Patre divinitatem meam, vel Pater revelavit tibi quis sim ego; sed et ego dico tibi quis tu sis futurus, et dicendo efficio ac porro efficiam; ego enim sum Verbum efficax: quia tu es Petrus etc.: hic est sensus obvius et immediatus verborum Christi. Atqui inepta foret et irrisoria redditio Christi, si remuneraturus Petrum dixisset: tu es Petrus, at non super te sed super me aedificabo Ecclesiam meam: h. e. tu es Petra sed non es Petra: nam petra haec non est nisi ea supra quam Ecclesia aedificatur. Quodnam ergo beneficium Christus conferret Petro? nomen vacuum sine realitate: at impositio novi nominis citra rem nomine significatam est amara irrisio, praetereaque nihil.

Tandem *e*) ne subiectum immediate expressum nomine Petrae intelligatur Christus prohibet quoque forma verbi futuri *aedificabo*: si enim de se loqueretur Christus, non diceret *aedificabo* sed *aedifico*; iam enim supra se, qui erat a seipso Petra, aedificare inceperat Ecclesiam suam.

Demonstratum est ergo unum idemque esse subiectum immediate designatum nomine Petri et Petrae; et quia Petrus est ipsa persona Simonis (dico tibi: Tu es Petrus), subiectum ergo, pro quo immediate supponit nomen *Petra* in verbis Christi: super hanc Petram etc. est ipsa persona Petri.

Ergo ad unam personam Petri spectant verba Christi: *super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam*, non ad ceteros Apostolos simul, quia Petra haec est unus Simon Petrus: *Tu es Petrus*, quia eum solum Christus alloquitur: *Dico tibi*, quia verba Christi redditio sunt pro confessione quam unus Petrus ex se edidit.

Manifestum est autem in verbis Christi unum de praesenti affirmari: *Tu es Petrus*, alterum de futuro: *super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam*; nimirum Simon Petra dicitur et est, quia iam destinatus est ad hoc ut super ipsum Ecclesia aedificetur: quem admodum Abram dictus est a Deo, mutato nomine, Abraham (Gen. XVII, 5. Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appelleris Abraham quia patrem multarum gentium constitui te), quod nomen propheticum fuit: nondum enim Abraham pater exstiterat.

Corollarium I. Falsum est ergo Simonem heic appellari *πετρον* per allusionem ad Christum qui heic dicitur *πετρα* ita ut sint duo subiecta Petrus et Petra, Petrumque dici quia certa ratione attinet ad Petram qui est Christus, quin tamen proprietatem Petrae Simon participet. Nam 1) in allusione duo sunt subiecta unum ad alterum relatum; heic vero ratione habita sensus immediati unum est subiectum; unde habetur identitas, non allusio. De sensu autem mediato vel obliquo dicemus postea. 2) Etsi Simon dicatur Petrus per relationem ad Christum principem Petram, non tamen sequitur quod ipse non participet intrinsece rationem et dignitatem Petrae ei a Christo communicatam: quod vero ita participet testis est Christus, qui affirmat ipsum esse vere Petram supra quam est aedificaturus Ecclesiam.

Coroll. II. Inepti sunt qui concedentes *petram* per demonstrativum *hanc* ad antecedens aliquod referri, contendunt huiusmodi antecedens esse non Petrum, sed solam confessionem Petri, vel Christi divinitatem quam Petrus confessus est: nam regulariter pronomen demonstrativum ad proxime antecedens refertur, idque certe si idem nomen cum pronome iteratur. Quomodo autem etiam ad illa in obliquo referatur incluso in recto subiecto Petro, dicemus postea.

Coroll. III. Ineptum est quod aiunt Petrum esse nomen *impositionis*, Petram *appellativum*; nomina autem appellativa cum fiunt propria non retinere eandem significationem vel suppositionem. Nam 1) Christus semper dixit eodem modo Petram: 2) ita nomen Petrus est nomen impositionis, ut simul amplectatur qualitatem expressam appellativo Petrae, ut explicatur verbis sequentibus *et super hanc Petram etc.*

Coroll. IV. Perperam quidam provocant ad figuram *ανταναν-κλασιν* (quae talis est figura, ubi eadem quidem vox iteratur, sed in alia significatione, cuius generis exempla sunt Matth. VIII, 22; Luc. VIII, 26; Ioan. II, 23. 24; III, 6). Etenim figuram huiusmodi excludit quidquid demonstrat identitatem subiecti Petri et Petrae, nec loca allata similia sunt; heic enim, ceteris omissis, habetur: Petrus et super *hanc* Petram: talis porro coniunctio earundem vocum non

occurrit in locis citatis, ex Matthaeo: Dimitte *mortuos* sepelire *mortuos* suos: ex Luca: qui me *erubuerit*, hunc Filius hominis *erubescet*: ex Ioan. Multi *crediderunt* in nomine Iesu; ipse autem Iesus non se *credebat* illis; et quod natum est ex *carne caro* est, et quod natum est ex *spiritu spiritus* est: in quibus diversa plus minus vocum suppositio in contextu vel ex appositis, vel ex indole subiecti, de quo dicuntur, facile eruitur.

Coroll. V. Quamvis nomen *Petrus* aut *Petra* sit nomen relativum, ad illud nempe cuius est Petra, tamen non est opus divinare quinam in verbis Christi sit designatus terminus huius relationis, pro quo nempe dicitur Simon *Petra*. Christus enim illum terminum expresse designat cum ait: *super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam*: est igitur *Ecclesia* terminus pro quo Simon dicitur Petra a Christo.

Coroll. VI. Frustra aliqui, ut tueantur divinationem suam, quod Christus proferens verba: *et super hanc Petram*, digitum ad se ipsum intenderit, provocant ad verba Christi Ioan. II, 19. *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*, quae Christus, ut ipsi aiunt, protulerit indice digito erga corpus suum exerto. Cum dixit « Christus (ait Salmasius maximae auctoritatis vir inter Protestantes in Apparatu ad libros de Primatu pag. 8. edit. Elzeviriorum) tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, non Petrum visu aut tactu designavit, ut hariolantur hic docti quidam viri, sed semetipsum tangebatur haec dicens. Ita etiam fecit cum dixit: *destruite templum hoc etc.* » Quinam vero sunt qui illud hariolantur? catholici enim non visu aut tactu, sed ipso verbo *Petra* dicunt Christum designasse Petrum. An non tu potius hariolaris qui putas Christum se tetigisse cum dixit: *super hanc petram*, et cum ait: *destruite templum hoc*. Nam haec est alia divinatio, cui contextus Ioannis satis refragatur. Etenim si Christus digito ostendit se loqui de corpore suo, qui fieri potuit ut Iudaei immediate reponerent: *quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc; et tu in tribus diebus excitabis illud?* Praeterea Ioannes referens verba Christi, quae quidem iam intellexerat, monet statim lectorem quod *ille dicebat de templo corporis sui*: cur et Matthaeus simili admonitione non est usus? Ceterum non eadem est ratio verborum Christi utroque in loco, et negatur paritas. Nam 1° in sermone Christi ante verba: *solvite templum hoc*, non occurrit ab ipso Christo nominatum templum materiale sicut heic ante verba: *hanc Petram*, occurrit Petra; 2° penes Ioannem prophetia solum profertur, cuius intelligentia ad ipsius implementum differri potest, eamque licet symbolice efferre, corpus autem Christi templi symbolo repraesentari potest; apud Mat-

thaeum vero agitur de redditione muneris pro confessione, et de explicatione nominis impositi *Petra*, seu *Petrus*; quae requirunt idem esse subiectum in utroque inciso; etsi haec verba Christi prophetica sint quatenus promissionem continent.

Coroll. VII. Frustra quoque, ut probetur alium esse Petrum et alium Petram in sermone Christi, advertitur Syrum interpretem priori $\rho\epsilon\tau\rho\alpha$ praeposuisse pronomen personale *masculinum* $\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon$ quod vicem verbi gerit: *es*; alteri vero praeposuisse pronomen demonstrativum foemininum $\eta\upsilon\tau\eta$ *hanc*; unde concludunt aliud esse Petrum, et aliud quod dicitur *Petra*. Verum manifestum est quod huiusmodi pronomina, quae vicem verbi substantivi gerunt, genere et numero cum subiecto concordant, quemadmodum et verba; cum ergo in priore loco subiectum sit masculinum $\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon$ positum est pronomen masculinum.

Iam vero quod hactenus interpretando effecimus confirmatur diserta auctoritate universae Ecclesiasticae Traditionis, quae prostatum in operibus Patrum, tum in actis Conciliorum, tum in monumentis liturgicis. Ibidem enim frequentissime Petrus Apostolus appellatur *Petra Ecclesiae*, (Hilarius Pict. Trinit. L. VI, n. 20. Ambrosius in hymno 1. Nazianzenus orat. 26) *petra aedificationi Ecclesiae subiaccens* (Basilus contr. Eunom. L. 2, n. 4); *petra quam non vincunt superbae inferorum portae* (Augustinus in Psal. contr. partem Donati. Leo M. Serm. 98, c. 1); *petra solidissima, cui Dominus sui nominis, quo petra nuncupatur, communionem indulxit* (Maximus Taurinensis Serm. pro Natali Petri et Pauli); *fundamentum* (Synod. Ephes. Act. 3) *fundans sua Ecclesiam firmitate* (Chrysologus Serm. 154) *firmamentum Ecclesiae* (Ambrosius de Virginitate c. 16); *divinae domus fundamentum* (Epiphanius haer. LIX, nn. 7. 8); *firma et solidissima petra supra quam Christus aedificavit Ecclesiam* (Nyssenius in altera laudatione S. Stephani penes Gallandi Tom. VI, pag. 600); *Ecclesiae crepido* (Synod. Chalced. Act. 3); *supremum fundamentum Apostolorum, fundatio et fundamentum Ecclesiae* (Liturgia Ecclesiae Russicae. Cf. Opusc. P. Caesaris Tondini exstans in libro Omaggio Cattolico ecc. Romae edit. 1867, p. 435. Titt. 1.2.8.) pluribusque aliis. Pariter in libris liturgicis Chaldaeorum (cf. Ioseph. David. Antiqua Chaldaeorum Traditio circa Primatum b. Petri Romae 1870) in officio apost. Petri et Pauli in completis haec occurrunt: « Petrus ille qui est Apostolorum caput, super cuius firmitatem Salvator noster Ecclesiam suam fidelem aedificavit. » Item in Armeno Menologio (penes Galano Conciliatio Ecclesiae Armenae cum Romana. Tom. II. De Militantis Ecclesiae capite q. 1^a) die 27 Decembris haec leguntur: « Hodie celebratur festivitas SS. principum Apo-

stolorum Petri et Pauli. Magnus Petrus, Fidei Petra orientem et occidentem peragravit. Petrus, qui Petra dictus, et in Ecclesiae fundamentum positus est. » Et in libro canticorum: « qui in coetu electorum Apostolorum superiorem esse voluisti b. Petrum, Sanctae Fidei caput et Ecclesiae fundamentum. »

Idem unanimiter tradunt ii Patres antenicaeni, qui Christi verba enarrarunt, nempe Tertullianus inquires (Praescr. c. 22): « Latuit aliquid Petrum aedificandae Ecclesiae Petram dictum? » Cyprianus (epist. 71): « Petrus quem primum Dominus elegit, et super quem aedificavit Ecclesiam suam »; Origenes (in Exod. hom. 5^a n. 4.) vocans Petrum: « Ecclesiae fundamentum et petram solidissimam, super quam Christus fundavit Ecclesiam ». Hippolytus (in S. Theophania n. 9) inquires: « Hoc actus Spiritu extulit Petrus beatam illam vocem: Tu es Christus etc. huius virtute Spiritus petra Ecclesiae consolidatus est ». Et in epistola pseudoClementis 1^a ad Iacobum n. 4. haec leguntur: « Simon qui propter veram fidem et firmissimam doctrinae suae basim Ecclesiae fundamentum esse definitus est, atque ob id ab ipso Iesu ore non fallaci transnominatus est Petrus, primitiae Domini nostri, Apostolorum primus, cui primo Pater filium revelavit, etc. ». Adde S. Iacobum cognomento Magnum, nisibenum Episcopum, qui in Sermone 1^o de fide ait: « Simon qui petra vocatus est, propter fidem suam merito petra vocatus est. ».

Praeterea antiquae versiones syriaca, arabica, persica, Petrum et Petram una eademque voce reddiderunt. In versione vero S. Cyrilli Apostoli Slavorum sec. IX in ea inquam versione, quae antiquior est et dictum Cyrillum habet auctorem, verba Matthaei ita redduntur TV ESI PETR I NA SEM PETRE, tu es Petrus, et super hunc Petrum: quod oriri non potuit ex defectu aut ignorance termini slavonici respondentis $\tau\eta\ \pi\epsilon\tau\rho\varsigma$: cum non infrequenter vox petra quae in Evangelio occurrit reddatur ibidem voce propria KAMEN. (Cf. opusculum P. Ioan. Xav. Gagarin editum in libro (Omaggio cattolico) superius memorato p. 296).

III. Nunc ad alteram quaestionem, h. e. de sensu verborum Christi: *et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam*. Patet Christum induere personam architecti: *aedificabo*; Ecclesia exhibetur sub imagine aedificii; quemadmodum plerumque in Scripturis repraesentatur sub figura templi, domus; Petrus vero exhibetur sub imagine petrae supra quam construitur aedificium: h. e. sub imagine fundamenti, et quidem illius quod sit vere firmum, cuiusmodi est saxum, vel rupes supra quam solida aedificia extrui solent. Nec dicas cum Salmasio (l. c. pag. 7) petram non esse fundamentum sed id cui ipsum fundamentum innititur, ut exinde colligere liceat petram heic

non esse nisi Christum. Nam reapse cum super rupem aut saxum aedificatur domus, non aliud iacitur fundamentum, ipsaque rupes est fundamenti loco, quod tantum adhibetur ad supplendum defectum rupis. Porro haec rupes, super quam Christus aedificaturus est Ecclesiam, est rupes quam non invenit sed ipse Christus statuit fecitque esse firmam. Dicitur itaque Petrus esse ea petra supra quam Ecclesia a Christo aedificatur. Porro Petra per se firmitatem, stabilitatem praefert; Petra vero super quam aedificium construitur est basis seu fundamentum, quod sua firmitate et stabilitate sustentat aedificium, efficitque ut omnes eius partes sibi innixae invicem secum ipsis cohaerere unumque solidum aedificium constituere valeant. Manifestum est sermonem Christi esse metaphoricum; cum vero metaphora clara est, ea non officit sermonis perspicuitati, sed hanc potius iuvat. Iam vero metaphora clara est, cum omnes eius ideae clarae sunt et obviae, cum ratio translationis est nota. Atqui clara est notio fundamenti, aedificii et habitudinis fundamenti ad aedificium: huiusmodi vero habitudo ratio est huius translationis; Petrus enim Petra dicitur quia super ipsum fundatur Ecclesia; se habet ergo ad Ecclesiam sicut fundamentum ad aedificium. Pronum est ergo sensum proprium sensui metaphorico substituere. Quod antequam faciamus, expedienda est prius quaestio de amplitudine vocis *Ecclesiae*.

Atqui licet Ecclesiae nomen identidem particularem quemdam coetum designet, quod quidem ex adiunctis sermonis, vel ex apposis, quibus circumscribitur, dignoscitur (cf. Act. VIII, 1; 1. Cor. I, 2; Apocal. I, 4): attamen cum indefinite usurpatur, indefinite patet universamque Ecclesiam significat; quod et ratione constat, cum universus Christianorum coetus sit ipsa Ecclesia; nec ulla sit ratio cur potius hic quam ille particularis coetus intelligatur; idemque constat usu (cf. Ephes. I, 22; V, 23-32; Coloss. I, 18-24; 1. Tim. III, 15). Praeterea heic dicitur *Ecclesia mea*, nempe Ecclesia Christi: atqui Ecclesia Christi est universa Ecclesia; quare per illud appositum *meam* positive amplificatur nominis Ecclesiae significatio ad universam Ecclesiam. Cum ergo Ecclesia Christi contineat omnes Christi fideles eosque collectos in unitatem societatis; singuli ii omnes in societatem coeuntes eorumque societas Ecclesiae nomine continentur: et quia Apostoli quoque ad Christi Ecclesiam spectant, ii etiam Ecclesiae nomine super Petrum fundatae repraesentantur.

Itaque se habet Petrus ad Ecclesiam universam quemadmodum fundamentum ad aedificium. Porro *Ecclesia* nomen est societatis, eamque immediate sub hac formali ratione repraesentat: cum ergo Christus dixit *Ecclesiam meam*, societatem a se instituendam animo

olvebat, cuius unitatem sub imagine aedificii quoque repraesentavit. Iam vero fundamentum 1) pars est maxime necessaria aedificio; 2) pars est quae firmitatem et stabilitatem aedificio tribuit; 3) pars est extra quam aedificium aut aliqua pars aedificii esse nequit; 4) pars est quae universas partes aedificii sustentando, eas omnes continet sibi et secum ipsis cohaerentes in unitate Cf. Matth. VII, 24. In has notiones resolvitur immediata analysi notio fundamenti; quod vero immediata analysi e verbis Scripturae elicitur id immediate dictum et revelatum haberi debet. Dices fundamentum esse aliquid extrinsecum aedificio, si praesertim sit rupes aliqua quam quis adhibeat fundamenti loco. Respondeo primum: rupes seu petra supra quam Christus aedificavit Ecclesiam et ipsa collocata est seu aedificata a Christo, qui fecit Simonem esse petram. Deinde falsum est quod fundamentum sit aliquid extrinsecum aedificio; est quidem extra ceteras partes, eius tamen efficacia est intrinseca aedificio, et habitudo dependentiae aedificii erga fundamentum intrinseca est ipsi aedificio. Cum igitur petra spectatur formaliter secundum habitudinem ad aedificium, spectatur ut aliquid maxime intrinsecum aedificio. Si ergo ad Petrum fundamentum Ecclesiae ea transferantur, habebimus 1) ipsum esse partem maxime necessariam Ecclesiae; 2) partem a qua Ecclesia universa firmitatem et stabilitatem nanciscitur; 3) partem a qua unitatem suam universa Ecclesia mutuatur; 4) partem, citra quam Ecclesia esse nequit, et a qua si quis separetur, in Ecclesia esse desinat. Atqui quod est maxime necessarium in societate, quod est principium stabilitatis et unitatis in societate, id cui necesse est adhaerere omnes qui velint in societate esse, est auctoritas a qua universa societas pendet et regitur, h. e. auctoritas suprema in societate, quae principium est efficax unitatis in societate, et a qua sola, si firma et stabilis sit, potest firmitatem et stabilitatem societas habere. Illa ergo persona, quae id est in Ecclesia quod fundamentum in aedificio, potitur suprema auctoritate in Ecclesia.

Ergo Petra Ecclesiae non est tantum fides quam Petrus professus est, neque est tantum ea confessio fidei quam edidit Petrus, sed est ipsa persona Petri aucta quidem fide: Christus enim dixit: super hanc Petram, Petra autem et Petrus idem subiectum sunt, ut probavimus. Praeterea habitudo petrae ad aedificium talis est ut perenniter sit simul petra et aedificium: atqui confessio fidei edita a Petro fuit aliquid transiens; ergo ea nequit esse Petra de qua Christus loquitur.

Distincto itaque eo quo Petrus mereri potuit dignitatem Petrae, et eo quo formaliter ipse constituatur Petra, et subiecto quod directe dicitur a Christo Petra; licet confessio Petri censeatur id fuisse quo